



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Vectigal.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

Non est peccatum audire sine contradictione laudem falsam, dummodo non deleatur de eo, in quantum falsa. Qui verò res principaliter institutas in honorem Dei, & salutem animarum, facit principaliter ob vanam gloriam, tantum peccat venialiter, & non peccat faciendo illa principaliter ob Deum, & secundario ob laudem humanam, relatam in bonum finem. c. 23. n. 13.

VECTIGAL.

Qui non solvit iusta tributa, tenetur restituere. Quod planè procedit in iuribus debitis ob prædia, vel alia ad eorum statum pertinentia, vel alia via iuste impositis cum intentione obligandi ad mortal. vel ob contractus locationis, vel alios, & etiam quando per aliam legem iustam imponuntur, nisi habuerint tacitam intentionem, vel expressam impediendi obligationem ad culpam mortalem per impositionem pœnæ temporalis, c. 17. num. 200.

Qui absque auctoritate Papæ, vel Regis imponit subditis aliquod tributum, vel exigit apertè illicitum tenetur restituere. Idem si dubitat an sint licita, & sponte ad id se offert, secus si iussu Superioris faciat.

De gabellis quas sillas vocant, vide in tit.
Excom

Excommunicatio. V I. §. 1.

Tenantur Episcopi sub mort. monere laicos gubernatores, petentes à personis Ecclesiasticis prædicta tributa, peccare mortaliter, & esse excommunicatos. cap. 17. n. 202.

Quando lex obligans pro tributis solvendis extenditur ad pœnam temporalem, non obligat ad mortale: secus si sit purè præceptum. cap. 17. num. 20. & cap. 23. num. 40. & 59. vide tit. lex.

Qui extra regnum portat verita, non peccat mort. secus si se à custodibus defēdat vi & armis, ne sibi auferant. Si tamen se defendat fuga, & blandis verbis, vel alio modo licito, non peccat. cap. 23. num. 61.

An verò vectigalia, quæ ex granis in forum portatis exiguntur à laicis, & clericis, licitè solvantur à clericis, relinquendum est his, qui perfectè norunt huius tributi conditiones. cap. 17. n. 202.

Portitoria non sunt soluenda de his quæ portantur ad suam suorūque sustentationem, nisi consuetudo ad sit in contrarium. ibid.

Qui non manifestat gabellā, quam debet quando interuenit iuramentum, vel eius cōscientiæ remittitur à publicano, tenetur restituere, sed non iurare, quia satisfacit dicendo se paratum soluere quæcūque se debere publicanus commonstrauerit. c. 17. num. 202.

VENA